

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA  
SISTENS DISQUISITIONEM  
*AN SALOMO IDOLOLATRIÆ  
FUERIT DEDITUS?*

---

Cujus

PARTEM POSTERIOREM

*Conf. Ampl. Fac. Phil. Reg. Acad. Aboëns.*

Publico Examine modeste offerunt

*ADOLPH. ROBERTUS HJELT,*

*Theol. Doc. & Vice Not. Conf. Eccl. Ab.*

&

*JOHAN. REGINALD. APPELGREN,*

*Verbi Div. Min. Ofsrobotniensis.*

In Aud. Phys. d. XVI Dec. MDCCCVII.

H. a. m. c.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



suos exercere valeant (*i*), haudquaquam sibi pervadebit Salomoni ex lenociniis earum quidquam fuisse pertimescendum, præterquam quod verisimile haud sit, has ipsas uxores tanto religionis suæ propagandæ flagrasse ardore, ut amorum suorum oblitæ ad negotium tantæ molis absolvendum animos applicuissent? Ad hæc allata accedit, quod, cum omnis deorum cultus eo potissimum tetenderit (*k*), ut sacra facientes his ipsis eorum sibi conciliare favorem & beneficia sperarent, nulla sane idonea causa adesse potuit, quæ Salomonem alliceret ad fidem veterem mutandam.

Rem itaque sine partium studio considerantes, facile intelligimus id potius his foeminis cordi fuisse, ut liceret sibi ritus sacros patrios, quibus a tenera ætate adveverant, etiam in regia Salomonis domo observare, diisque suis thura dare. Quam veniam non nisi senescente demum Salomone ipsis concessam fuisse pandectæ sacræ confirmant; cum nempe probe sciret civitatis leges talem superstitionem prohibe-

D

hibe-

*i*) Narrationes eorum, qui Orientem peragrarunt, hac de re & hodie consentiunt. Cfr. G. L. BAUERS *Lehrbuch der Hebr. Alterthümer* p. 128.

*k*) Vid. MICHAELIS l. c. §. 55 Tom. I. p. 210. & BAUER *von den Gottesdienstl. Verfassung d. Alt. Hebr.* 1. B. p. 90. fqq.

hibere, populumque Judaicum hanc ob causam illam æquo animo tum haud laturum fore (1).

§. III.

Sed in hacce doctorum virorum de idololatria Salomonis sententiarum discrepantia, non abs re alienum videbitur loca scripturæ sacræ huc spectantia accuratiori subijcere examini. Exstat ut jam supra monuimus unica de hac re narratio in 1 Reg. XI, ubi scriptor sacer, præcipuis, quæ sibi de Salomone narranda erant jam expositis, ad cetera reipublicæ Judaicæ fata recensenda tendens, sic fatur:

*At*

- 
- 1) Non tamen ii sumus, qui putemus omnem exoticorum Deorum cultum Salomonis ævo Hierosolymis fuisse exulsem. Jam enim Davide regnante multi advenæ & extranei armis ejus victis coacti Hierosolymis sedes suas posuerant. Et cum in id summo studio eniteretur Salomo, ut non solum mercaturæ operam darent Judæi, mariaque velis suis complerent, sed artes quoque liberales colerent, quem in finem & nauticæ artis peritos & artifices varii generis e vicinis regionibus hierosolymas advocaret, hac ipsa re facile persuaderi potuit, ut veniam qualemcunque his alienigenis concederet, cultum religiosum patrium exercendi; in primis quum idolorum cultus non tam extraneis intra fines regni Judaici degentibus, quam potissimum Judæis interdictus esset, & putaret se legem de idololatria exterminanda, quæ in reipublica constituenda & ad cultum Jovæ conformanda maximi momenti esset, jam hocce cultu prævalente, quodammodo mitigare seu relaxare posse.

*At hic ipse Rex Salomo captus erat amore (a) multarum mulierum peregrinarum (præter filia Pharaonis), Moabitarum, Hammonitarum, Idumæarum, Sidoriarum & Hethæarum; 2. e gentibus de quibus dixerat Deus Israëlitis: consuetudinem non habebitis (b) cum iis, neque istæ vobiscum, nam deflecent mentes vestras ad Deos suos. His (c) amore adhæsit Salomo; 3. qui septingentas habebat mulieres principes & trecentas concubinas (d), quæ foemine cum seducebant*

D 2

- a) כָּהֵן (expetere-adamare) ὁ ὅ reddunt Φιλογυναιος ἦν, καὶ ἐλαβε, quasi innueretur Salomonem revera easdem sibi uxores adjunxisse.
- b) כָּהֵן, quod hoc loco, cum præf. כָּ occurrit, denotat quidem ingredi ad aliquem, sed & hinc commercium habere familiarius cum aliquo, atque ut ex Exod. XXXIV. 16. & Deut. VII. 3. patet, societatem conjugii cum aliquo inire.
- c) Intelligi deberet de foeminis, quare etiam JOAN. HENR. MEISNER in Clavi suo Vet. Testi. vocabulum כָּהֵן mutatum voluit in כָּהֵן, sed nec codicum a B. Kennicott fœcisque collatorum ullus hanc lectionem exhibet, neque versiones antiquæ ita habuisse videntur.
- d) En gynæconitidem cum quacunque alia comparandam! Numerus autem hæc allatus vel non est ad litteram exigendus, vel etiam comprehendit omnes mulieres in aula regis habitantes. Plures enim istarum ad solam Regis magnificentiam augendam, plurimas autem ad varia

bant (e) 4. Senili nempe etate Salomoni accidit, ut a-  
 verterent uxores animum ejus ad Deos peregrinos (f),  
 ne

in aula a mulieribus procuranda negotia, quæ non pau-  
 ca esse potuerunt, fuisse adhibitos, facile nobis persua-  
 demur. — "Vielleicht kannte er den größten Theil die-  
 ser unglücklichen Dienerinnen — seiner *Lüste* nicht so  
 wohl, als seiner — *Eitelkeit* kaum den Namen nach. Der  
 Gebrauch sich Harems zu halten, war schon zu Abra-  
 hams Zeit, wie muß er seit so viel Jahrhunderten zu-  
 genommen haben! Salomo nimt alles, was er auswärtis  
 von Pracht findet, in sein Reich auf; hat den Ehrgeitz  
 andre übertreffen, bekommt vielleicht auch viel Geschen-  
 ke." NIEMEYER l. c. p. 553.

e) Eadem fere verba bis repetuntur; in hoc occurrunt  
 ויטו נשיו את-לכו, quæ verba Ed. Roman.  
 Verf. LXX. non habet, & in sequenti commate  
 נשיו הטו את-לכו, quæ etiam alio or-  
 dine in recensione nuperrime allata textus Interp. LXX.  
 leguntur; ut autem hæcæ repetitio incuria quadam de-  
 scriptorum videtur irrepisse, Dathius in versione Latina  
 ad h. l. priora illa verba omisit. Nos vero, qui hoc  
 magis sili antiquioris simplicitati adscribimus, nec in hoc,  
 nec in sequenti versu allata verba omittere volumus,  
 putantes priora illa haud incommodè reddi posse, subin-  
 tellectis אהרו אלהים, ut comm. 2. vel 4. Sed si  
 mavis hæc esse dicta de fascinandi vi, quam in Salomo-  
 nem exercebant mulieres istæ, erit sensus: penitus cum  
 captabant; quo factum fuit, ut &c.

f) GROTIUS in Comment. ad h. l. Ed. G. I. L. VOGEL,  
 reddit: ut sequeretur deos alienos, adjungens in notula,

*ne ea animi integritate esset (g) in Jovam Deum suum,  
qua*

---

Salomonem primum *oculto* permisisse foeminis uti avitis ritibus & deos suos adorare, deinde autem eorum exemplo corruptum *palam* eadem peregrisse sacra. At וַיִּשְׁתַּחֲוֶינָהּ לִבְנוֹתֵי הַבָּמֹת לְיִשְׂרָאֵל si etiam conferatur ar. וְיִשְׁתַּחֲוֶינָהּ nulla alia commode exhibet notio, quam inclinandi & despectendi, praesertim cum וְיִשְׁתַּחֲוֶינָהּ constructum. Ideoque in Hiph. in qua forma hoc loco exstat, significat *prorum vel propensum reddidit*; adeoque sensus hoc loco sit, *avertebant eum scil. ut faveret ipsis*. Non autem, ut ipse ad partes Deorum se adjungeret. Possumus nempe alicui favere, idque variis de causis, sed non ideo eum sectari. Constanter etiam ὁ ὁ vertunt ἐκκλῆσιν, quod semper indeterminatam habet significationem, neque ulla ratione ita accipi debet, ut indiget Salomonem revera ad cultum idolorum fuisse prolapsum. "Es ist nicht wahrscheinlich, daß die fremden Weiber den Salomo auf ein andere Meinung in ansehung des wahren Goutes, und der Abgötter, gebracht haben. Sie verursachten aber doch, daß er seinem Eifer für den Herrn laulich wurde." *Vexio Germanica S:ræ S:ræ auctoribus DIETELMAIR & TELLER Leipz. 1753. ad h. l.*

g) Vocabulum וְיִשְׁתַּחֲוֶינָהּ, quo simul ad nomen Regis alluditur, proprie significat *incolumis, integer, hinc sincerus fuit*, — collato Ar. *سَلَامًا*, *salutem impertivit, totum se Deo tradidit*. 'Οι ὁ habent ἐκ τῆς καρδίας αὐτῶν τελεσια. Quæ formula loquendi, ut illa hebraica, hoc loco adhibita, vaga omnino est; sed potest ejus vis aliquatenus e 2 Chron. XXV. 2. intelligi, ubi de Amasia adhibetur, quod nec idola destruxerit, nec excelsa demolitus sit.

qua Davides Pater ejus fuerat (h). 5. Atque favebat  
cul-

---

- h) Tantus nempe cum fuerit ardor sive zelus Davidis in Jova colendo, ut non solum præcepta ejus sanctissime observaret, sed & qualis ipse esset, talis etiam vellet ut sui se præstarent, (Pl. Cl. cfr. 1. Reg. XIV, 3.) adeoque etiam quantum posset idololatriam represerit, tandem factum est, ut tanquam supremum pietatis exemplum in Historia Judaica proponeretur, quod quemque Regum successorum imitari oporteret. Quare si quid in rege quodam, ratione ad cultum religiosum habita, minus placeret, mox de illo publice prædicabatur, non esse talem in Jova colendo, qualis David fuerat.
- i) Magni utique momenti ad quæstionem nostram rite solvendam est explicatio vocabuli  $\text{יָלַךְ}$ , quod hoc loco conjungitur cum  $\text{וַיִּתְּנֵם}$ . Plurimi interpretes hanc phrasin ita reddiderunt, ut innuat defectionem ad cultum idolorum. Sic JOAN. CLERICUS in *Comment.* ad h. l. transtulit per *secutus est, ivit post*; declarans tamen non constare, an mulieres Salomoni pervaserint esse Deos præter Deum Israël, an ad sacra tantum secum facienda eum permoverint, sibi autem prius vix videri probabile; JOAN. AUG. DATHIUS vertit per *secutus est*; JOAN. HENR. MEISNER l. c. per *cultu profecutus est*. *Versio Germanica DIETELMAIRIANA: wandelte nach &c.* Negari quidem nequit  $\text{וַיִּתְּנֵם}$  interdum eo sensu occurrere, sed hoc loco orationis nexus cum sequentibus, ubi expresse dicitur: mulieres tantummodo suffitus atque sacrificia diis suis attulisse, innuere videtur hanc phrasin aliter esse explicandam de qua vero paulo post pluribus agendum est. Atque si genium lingvæ consulimus, potest facile quoque alius sensus, isque haud improbabilis

*cultui (i) Hastartis (k) Deæ Sidoniorum & Milchomi (l),  
ido-*

inde elici. Nam ילך, ut & ejus cognatum הלך, quæ proprie significant, *ambulavit, ivit*, sequente נהרי, tanquam generalis quædam loquendi formula, eaque metaphorica, de qua jam major, jam minor, pars similitudinis deferri potest ad rem, de qua enuntiatur, atque sic, ut vel ad ipsam actionem, vel ad studium rei promovendæ solum pertineat, variis modis, quemadmodum τὸ ἐπορευθῆναι ὁπίσω, a LXX. adhibitum, usurpantur. Interdum igitur ista phrasis denotare potest, *propitium esse, favere, indulgere*, interdum *partes alicujus sequi, sectari, amare*, & inde ad cultum religiosum spectando, *colere, servire*. In qua posteriori significatione, addito etiam vocabulo quodam, ad plenius rem explimendam v. c. בשם, ut Mich. 4. 5, vel פנים, ררך cet. multoties occurrit τὸ: ילך, vicem supplens τὰ: עבר, quod cum אלהים נהרים proprie de cultu idololatræ valet. In notione autem quam jam vocabulis נהרי הלך h. l. adjunximus, valde convenit cum הנה, quod eandem fere vim habet, ac in versu antecedenti נטה נהרי, ex quibus etiam phrasis hæc haud male illustratur.

- k) Vocatur אלהי nomine masc. pl. quia Hebræis nullum adest nomen, quo Numen sequioris sexus exprimitur. Quænam Dea hæc intelligatur, certum non est. Nam apud Syros hoc nomen commune fuit pluribus Deabus, quod J. SELDENUS multis ostendit in suo *de Diis Syrorum Syntagm.* 2. Cap. 2. Alii Junonem putant indigitari; alii Lunam, nos autem ex iis, quæ de cultu hujusce Deæ adferuntur, concludentes, potius opinamur Venerem, Græcis Ἀφροδιτην, esse intelligendam, quo cer-

*idoli Hammonitarum. 6. Qua re Salomo displicuit  
Jovæ*

---

tius constat ejus cultum in Syria maxime fuisse celebrem. Cfr. MANSO *Versuche über einige Gegenstände aus der Mythologie der Griech. u. Römer.* & BAUERS *Lehrbuch der Hebr. Alterthümer* §. 351.

- d) Vocabatur etiam Moloch, qui idem fere est cum Saturno. Cfr. G. L. BAUERS *Beschreibung der Gottesdienstl. Verfassung d. Alt. Hebr.* 1. B. p. 504 fqq. Huic idolo homines, imprimis infantes fuisse immolatos, etiam apud Judæos, juxta morem plerarumque gentium barbararum, ex Pl. CVI. v. 37-8. Coll. Levit. XVIII. 21. patet, & inter omnes constat. An vero cultus hic hostiis solummodo humanis peragendus esset, ut plerique arbitrantur, vix credere fas est. Licet enim & apud scriptores profanos & passim in Sira Sira, mentio tantum fiat de sacrificiis humanis Molecho oblatis, nullibi tamen asseritur, horrendas ejusmodi victimas solas ei fuisse factas. Quare haud inconvenienter arguere liceat, etiam alia agoniarum genera fuisse in illo colendo adhibita, quamvis in magna quadam & publica calamitate humanis illis, utpote deo suo maxime gratis potissimum putarent se posse iram ejus felicissimo successu avertere. Cum autem hic litandi mos omni humanitatis sensui valde esset inimicus, factum est, ut historici de his sacrificiis solis tanquam foedis & abominandis in primis sermonem facerent, cetera tanquam vulgaria & solita silentio prætereuntes. Ad nostram sententiam præterea etiam id accedit firmamenti, quod CURTIUS *L. IV. c. 3.* referat sacra ejusmodi horrenda, inter Tyrios, qui Molechum colabant, per multa secula intermissa fuisse. Quod idem testimonium ex Justino aliisque collectis ulterius posset con-

*Jovæ (m); neque cum tam integre coluit (n), quam Davides Pater ejus. 7. Tunc Salomo sacellum Chamofcho (o), Deo Moabitarum, in monte, qui est ex adver-*  
E fo

---

firmari. Cfr. BAUER *von den Gottesdienstl. Verfass. d. Alt. Hebr.* 1 B. p. 297. Cum autem jam liceret Tyriis tandiu horrendis hisce se abstinere sacrificiis quamvis cultum religiosum Deo suo præstandum haud abrogaverint, nullum est dubium, quin etiam oblationibus aliis uti fas esset, atque has etiam ab uxoribus Salomonis Molechum colentibus usitatas fuisse. Alias certe scriptor sacer hujus loci morem iniquum & abominandum aperte taxasset, ut alibi ex. gr. 2 Chron. XXVIII. 9.

m) Hebr. *fecit malum in oculis Jovæ*, formula loquendi frequens apud Hebræos de rebus, quæ minus placerent.

n)  $\text{נלם}$  plenus fuit, convenit Ar.  $\text{לם}$ , & subintellecto verbo eundi, prægnanter cum  $\text{נלם}$ , *preste vestigia alicujus secutus est*, quasi esset  $\text{נלם ילך}$ , hinc *constanter coluit*, plenum obsequium præstitit.

o) Chamofchum plerique putant eundem esse cum *Baal Peor*, cujus cultus in multis fuisse videtur similis illi, quem antiquioribus temporibus Veneri tribuebant mulieres, pudicitiam suam advenis vendentes. Cfr. BAUERS *Beschr. d. Gottesdienstl. Verfass. d. Alt. Hebr.* Tom. 1. p. 291. An vero Chamofchus & Hastartes idem idolum diversis licet nominibus apud diversas gentes cognitum, non liquet, neque ex collatione v. 5. cum 7. certius quid constat.

p) His verbis adjungunt  $\text{ὁ δὲ καὶ τὴν Ἀσαρῆθ Βδελουγματὶ Σιδωνίων}$ ; quam lectionem nulli codices Hebr. a KENNI-

*Jo Hierosolymarum exstruxit, item Molecho Hammonitarum idolo (p); v. 8. atque idem fecit omnibus uxori-  
bus suis alienigenis, quæ curabant, ut suffimenta accen-  
derentur & sacrificia peragerentur Diis suis (q).*

§. IV.

corr & DE ROSSI collati innuunt; videntur itaque a LXX eo consilio esse adjecta, ut hic versus conveniat cum allatis in v. 5. Hanc autem omissionem & reliquam varietatem textus hebraici in his duobus versiculis accuratius aliquanto considerantibus, haud displicet hypothesis, scriptorem libri hos versus ex diversis monumentis, variis verbis eandem rem narrantibus hausisse atque sic ipsa verba eorum, quemadmodum mos tum erat, in librum suum transtulisse, una vel altera solummodo animadversione hic ibi interposita ex. gr. qualis v. 6. videtur obvia. Cfr. GOTTL. WILH. MEYERS *Hermeneutik d. Alt. Test.* 2 Th. p. 206 sqq.

- q) Hæc sunt præcipua illa, quæ ad rem nostram faciunt. Nam quæ com. 9 & 10. de hac re ulterius commemorantur, cum allatis ad v. 4 & 5. ubi verba eadem atque phrasæ, quæ heic occurrunt, enodavimus, accurate conveniant, quare iisdem repetendis nolumus lectores facescere. Sed ad vers. 33. quod attinet, obscurior quidem ille nobis videtur, quam ut inde liceat certi quid de Salomonis defectione ad cultum idolorum statuere. Lectionem enim textus hebræi si spectemus, variis illa oblita est difficultatibus, quemadmodum tota pericopa, quæ com. 29—40 continetur, ut incertum omnino sit, an heic enuntiata ad Salomonem, an ad ejus audicos,

## §. IV.

Quorsum autem hæc a scriptore sacro allata spectarent, an ut iis omnium instar indicaretur causa mutationis, quam mox subiturum esset regnum Judaicum, an ut eadem simul ad aliquam partem portenderent foedam illam idololatriam, quæ postea irrepsit, non judicandum nobis sumimus; verum id solum movebimus, his in locis, Salomonem nefandi

E 2

idolo-

vel alios quoscunque pertineant? DATHIUS quidem in *Versione latina* hunc versum sic reddit: "Quoniam ille cum suis me relicto adoravit Aschtarotam" &c., sed ad hanc versionem observare liceat nullum vocabulum in textu hebraico adhiberi, quod respondeat אֲשַׁחֲרֹתַי: ille cum suis, vel quod personæ loco accipi posset. Nam nuda solummodo verba &c. עֲזַבְנִי וַיִּשְׁתַּחֲוֶה, quæ in pl. construuntur, existant, & reddi deberent, *deseruerunt me & adoraverunt*, quam constructionem etiam cetera in hoc comitate obvia sequuntur, præter vocab. אֲשַׁחֲרֹתַי, quod vel abesse possit, vel etiam ex Cod. KENNICOTTI 115 queat emendari ad אֲשַׁחֲרֹתַי. Quare difficile omnino dictu, an hæc de Salomone valeant. Præterea hæc enunciatio obiter tantum & in sermone magis concitato prolata est. Enuntiaverat nempe ea Achija Jerobeamo, novarum rerum tum jam cupido, rebellionemque molienti, affeverans illum voti sui fore damnatum, quam idolorum cultus jam Hierosolymis in aula regia exerceretur & præcepta Jovæ sancte observanda negligerentur. Quod ex opinione vulgari eo magis facere potuit, quo certius tum erat Jovam non posse non iis deesse, qui illum contemnerent. Cfr. MEYER l. c. 2 Th. p. 226 sqq.

idolorum cultus criminis reum expressis saltim verbis non fieri. Ac consulenti nexum antecedentium & consequentium, facile patebit, scriptorem sacrum potissimum voluisse narrare, Salomonem justo plus amori in foeminas suas indulgendo, fecisse, quod non facere debuit, scilicet excelsa idolorum exstruenda curasse. Nam si aliud fuisset scriptoris consilium, quam quod sic aperuit, atque eo usque prolapsus esset Salomo, ut ipse, quod de mulieribus solum narratur, idolis sufflisset, id quam acerrime in vitia animadvertens scriptor, tanto minus, alia jam commemorans, videtur præterire potuisse, quum jam opportunissima sibi data esset occasio exponendi, quicquid ad consilium propositum maxime pertineret, & quanto plerumque clarius in aliis locis, ubi sermo de cultu Jovæ vel promotus vel neglectus exstat, omnia recensere solet, quæ ad rem intelligendam faciunt. Neque ulla videtur adesse causa, quæ eum permovisset ad minus referendum, sed majus tacite prætereundum, vel non nisi obscurissime indicandum. Id enim observare licet, auctorem librorum regum multoties in dicendo vulgo majorem iis temporibus adspirare libertatem, alacriterque ea proponere quæ occasio postulet, quæque fontes, quos adire sibi contigit, exhibeant. Ideoque in his scriptis multa occurrunt, quæ Chronicorum libri, qui historiam eorum ipsorum temporum pertexunt & cetera pleraque de Salomone sæpissime iisdem fere verbis, quibus usi sunt libri regum,

repe-

repetunt (a), vel admodum breviter, vel plane non commemorant, ut hæc de favore Salomonis in cultum idololatricum, de effrenata amoris libidine, de effoeminato regimine sub ultimis imperii sui temporibus & rebellione a Jerobeamo tum incepta. Quæ cum ita sint neque est dubitandum, quin Auctor hujus pericopæ, quod de Jerobeamo 1 Reg. XII. 32, XIV. 9 &c. idem etiam de Salomone expresse affirmasset, si res id exegisset. Jam autem scriptor facer in genere declarans Salomonem non debitæ fuisse in Jovam pietatis, commate 7 & 8 pergit rationem & viam exponere, qua ille immorigerum se præstiterit falsos Deos sectando. Ac ne dubitatio ulla supersit, in quo totum crimen, cujus accusatur Salomo potissimum consistat, addit, foeminas Salomonis in locis excelsis ab eo exstructis sacra peregisse, qua sic illum ab ipsis distingvit. Hinc igitur cum nostrum sit, in re saltim historica, quantum fieri potest, e verborum significatione certa non recedere, neque præter necessitatem, quæ alicui culpæ vertuntur, extendere, merito omnino concludimus, nullam hoc loco mentionem fieri de Salomone ipso cultum idolorum amplexo, verum eatenus re-  
pre-

a) Ea enumerat & declarat J. G. EICHHORN l. c. 2 Th. p. 542 sq. Cfr. BERGER l. c. Tom. II. p. 458 fqq. & MEYER l. c. Tom. II. p. 214 fqq. Nuperrime autem hypothesein Eichhornianam refellere studet W. M. L. DE WETTE l. c. p. 26 fqq.

prehendendo, quatenus infaniam mulierum non represserit, sed toleraverit atque adjuverit. Quem in modum hanc narrationem etiam accepisse videntur scriptores Judæorum (Cfr. Syrac. XLVII.), qui ex aliis idoneis fontibus tum forsitan adhuc superstitionibus potuerunt hujus facti historiam copiosius haurire. Eisdem autem si in hoc argumento sequi nolumus, cum famæ tanti regis vel studiosi, vel coeca ejus veneratione ducti, in meliorem partem exponere omnia voluisse, videri possint, nos neque ab altera parte nimis *severi* simus in magnis viris judicandis, quin potius, cum eo facilius labi possint, quo altiori in loco sint positi, atque sic in majori versentur errandi periculo, *proniores* ad excusandum si quid in vita eorum minus probandum videatur, memores eosdem homines esse a quibus nihil humani alienum esse potest; quæ adhibenda cautio eo magis est necessaria, quo facilius accidere queat, ut errores isti, quos iis fama tribuit, vel quoad naturam ipsam & indolem suam, vel ad causas, nec satis evidentes sint, & indubii, sed partim temporum injuria, partim scriptorum ambiguitate, brevitatisque studio, duriores redditi, non possint penuria monumentorum his certiorum jam satis illustrari atque definiri.

## §. V.

Hanc sententiam quam de Salomonis in cultum idolorum favore sic proposuimus, ulterius putamus  
evi-

evictum iri sequentibus argumentis ex ipsa re & historia istius ætatis deductis. Etenim si Salomo se idololatriæ adeo præcipitem dedisset, ut ipse pietatis quædam officia idolis præstitisset & Jova etiam monente a dementia ista se abstinere noluisset, minime dubitandum est, quin quoque idola ipsa, ut sequentibus temporibus, quando illa abominatio florere coepit, fuit factum, in templum Hierosolymitanum ad communem populi Israelitici venerationem deduxisset, atque tandem certis edictis cultum horum deastrorum cunctis civibus mandasset. Hujus autem criminis nusquam est in pandectis sacris reus, neque patet, an populo suo permiserit frequentare idolorum sacra, multo minus, an illo regnante populus ad polytheismum revera deflexerit. Quod autem eo facilius accidere debuit, quo sæpius

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quod de pristina gente Judaica in primis valere non uno exemplo probari potest. Historia enim teste, Judæi nullo non tempore ante exilium Babylo-  
nicum ad cultum idolorum amplectendam proni, tales omnino se præbuerunt in religione observanda, quales reges sui fuerunt. Si igitur ipse fuisset idololatra Salomo, cujus tanta in populo non solum admiratio erat, sed potius veneratio, ut quamvis hic gravibus admodum ab illo injunctis premeretur sum-  
tibus publicis expendendis, variisque modis tentaretur

ad

ad seditionem faciendam, tamen adversa pati & molesta ferre mallet, quam eum offendere, quid aliud jam expectares, quam ut populus vestigia ejus pressisset? Ex scriptoribus autem ejusdem ætatis minime efficitur populum Judaicum tum cultui idolorum fuisse deditum, quin potius ex 2. Chron. XI, 13, 16. Coll. 1 Reg. XII, 28 sqq. colligitur eundem adhuc post Salomonis mortem in cultu Jovæ constantem fuisse. Solus enim Jovæ timor permovit sacerdotum multos, Jerobeamo eosdem a sacerdotio Jovæ depellente, ut una cum frequenti populi multitudine se Hierosolymas conferrent, quo ipsis libere majorum suorum Deum colere liceret. Atque hæc rerum conditio, affirmante auctore libri Chronicorum l. c. v. 17, adhuc tres annos post hancce emigrationem in regno Judaico duravit, dum *ex institutis Davidis & Salomonis vixerunt*, h. e. colentes Jovam quemadmodum David & Salomo Eum coluere. Postea autem, ut ex 2. Chron. XII, 1. patet, populus regno Rehabeami stabilito, cum ipso rege a cultu Jovæ elabebatur; & 2 Reg. XXIII, 15. Jerobeamus dicitur fuisse auctor hujus mali in regno Israëlitico. Quod, quantum nos quidem judicare valemus, certissimum erit indicium, Salomonem se idololatriæ reum non fecisse.

## §. VI.

Quæ cum ita sint, quæri jam possit quare scriptor sacer tam graviter in factum Salomonis animad.

adverterit, per se quidem non malum, sed potius ob tolerantiae, unde idem prodiret, studium & rei civilis promovendae rationem forte laudandum? Verum moralitas facti cujusdam non est semper ad strictas veri, justi & aequi leges sollicitae aestimanda; tenet unaquaeque aetas suum culturae gradum, habet quaeque gens suos mores ad quos omnia sunt mensuranda. Quod idem de Salomone & ejus imperio parentibus Judaeis valet. Hi severitati legis Mosai-  
cae (a) ita adsveti, ut sacrilegii instar omne id haberent, quod unquam transversum a littera legis discederet, non potuerunt non ea offendi libertate, quam admittebat Salomo, & sacerdotes veri dei cultus promovendi studio tum maxime flagrantibus aliam adhuc habebant causam, quare illam eandem aegre ferrent. Nuperrime namque ille templo Jovae extruendo ministrisque ad cultum illius rite procurandum constitutis, consilium patris sui prudentissimum, quo per communia sacra, commune templum atque certos festos dies Hierosolymis peragendos, firmiter ad unum totum efficiendum voluit connectere rem-

F

publi-

---

a) Haec non loquimur de tota compage legum Mosai-  
carum, qualem jam habemus, & de qua nuperrime a J.  
S. VATER in *Commentario über den Pentateuch* III. Th.  
& WETTE l. c. in *Resultate für die Geschichte der Mo-  
saischen Bücher u. Gesetzgebung*, quaestio mota est, sed  
de generalibus quibusdam praecipuis, quae usu valebant  
& in decalogo v. c. mandabantur.

publicam Judaicam, perfecit. Jam autem ipse illud egregium factum destruere videbatur, partim permittendo cultum idololatricum, quo veteri licentiæ faveretur, partim abominationem illam promovendo, facellis e regione templi ipsius Jovæ (*b*) extruendis, quo auctoritas sacerdotum tandem reprimere-  
tur. Timendum nempe erat ne hac venia data, an-  
fa simul præberetur populo ad cultum falsorum deo-  
rum amplectendum. Hinc igitur cum & præcep-  
tum de Jova solo colendo videretur susque deque  
habere & mandatum de idololatria e finibus terræ Ju-  
daicæ extirpanda transgredi (*c*), jure omnino severio-  
res Judæi dicere poterant, illum non ea animi integri-  
tate colere Jovam, qua debuit, atque antea id fe-  
cerat. Neque mirum, si his de causis putarent Jo-  
vam Salomoni esse iratum, atque inde regni lacera-  
tionem tandem deducerent. Apprime hoc judicandi  
rationi istorum temporum conveniebat (*d*). Sed  
præter

---

*b*) Putabant veteres Deos inhabitare loca ubi templa eo-  
rum erant. Ac videtur tale quid scriptori 1 Reg. XI. 6.  
in mente fuisse, forsan ex mandato Exod. XX. 2. dedu-  
ctum. Cum igitur visitaret Jova templum suum non  
potuit non e regione conspiciere facella idolorum, &  
quisque intelligere potest, quam malum hoc in oculis  
Jovæ esset.

*c*) Cfr. MICHAELIS l. c. §. 248. 5 Th. p. 128.

*d*) Cfr. MEYER l. c. 2 Th. p. 226 sqq.

præter has allatas variæ adhuc cogitari possunt rationes, quæ scriptorem sacrum permoverint ad acrius in Salomonem animadvertendum. Erat nempe legibus vetitum, ne reges plures haberent uxores (*e*). Salomo autem γυναῖκας ἄλλενας præter modum proterraræ huicce libidini indulsit, & mulieribus ita se subjecit, ut ab iis quasi ductus esse videretur; quod cuique & sapienti in primis viro maximo fuit dedecori. Qua in re etiam id culpam ejus auget, quod uxores e gentibus populo Judaico infestissimis duxerit (*f*), Sed ne nimis multi in hac materia tractanda simus, allatis subsistimus.

*e*) Cfr. MICHAELIS l. c. 1 Th. p. 311 §. 54. & 2 Th. p. 192 §. 97.

*f*) Regibus quidem Orientalibus honori fuit, quam plurimas habere foeminas alienigenas. Salomo quoque in hoc non minus morem ætatis suæ, quam forsan prudentiæ politicæ necessitatem sequebatur. Ipsi enim pacem colenti necessarium fuit partim foederibus pangendis, partim connubiis ineundis cum finitimarum gentium filiabus firmam illam servare. Cfr. KLEUCKER l. c. p. 42 fqq. & NIEMEYER l. c. p. 559.

